



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CLXXXIII. An materiæ, siue corpori Angeli naturaliter vniantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

quantum huiusmodi, sed accidit alicui substantiæ intellectuali propter aliquid aliud, sicut humanæ animæ competit vñiri corpori: quia est imperfecta & in potentia existens in genere intellectualium substantiarum, non habens in sui natura plenitudinem scientiæ, sed acquirens eam per sensus corporcos à sensibilibus rebus, ut infra dicetur. In quocunque autem genere inuenitur aliquid imperfectum, oportet præexistere aliquid perfectum in genere illo. Sunt igitur aliquæ substantiæ perfectæ intellectuales in natura intellectuali non indigentes acquirere scientiam à sensibilibus rebus. Non igitur omnes substantiæ intellectuales sunt vnitæ corporibus, sed aliquæ sunt à corporibus separatae. Et has dicimus Angelos.

25. art. 1.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut supra dictum est, quorundam opinio fuit, quod omne ens esset corpus. Et ex hac existimatione derivatū videtur, quod aliqui existimauerunt, nullas substantias incorporeas esse, nisi corporibus vnitas: adeo quod quidam etiā posuerunt Deum esse animam mundi: ut August. narrat in 7. de ciuitate Dei. Sed quia hoc fidei Catholicae repugnat, quæ ponit Deum super omnia exaltatum, secundum illud Psalm. 8. Eleuata est magnificentia tua super cælos. Orig. hoc de Deo dicere reculans, de alijs secutus est aliorum opinionem, sicut & in multis alijs deceptus fuit, sequens antiquorum Philosophorum opiniones. Verbum autem Berni potest exponi quod spiritus creati indigeant corporali instrumento, non naturaliter vnito, sed aliquod assumpto, ut infra dicetur. August. autem loquitur non asserendo, sed opinione Platoniorum vtens, qui ponebant esse quædam animalia aërea, quæ dæmones nominabant.

Artis. seq.

Ad secundum dicendum, quod Greg. nominat Angelum rationale animal metaphorice propter similitudinem rationis.

Ad tertium dicendum, quod viuificare effectiue simpliciter perfectionis est. Vnde & Deo conuenit, secundum illud 1. Reg. 2. Dominus mortificat & viuificat, sed viuificare formaliter est substantiæ quæ est pars alicuius naturæ, & non habentis in se integram naturā speciei. Vnde substantiā intellectualis, quæ non est vnita corpori, est perfectior quam ea quæ est corpori vnita.

Notatio circa textum articuli.

CONCLVSIO est negans, quæ multis visa est eadem cum conclusione, & doctrina art. 1.

quæst. 50. in qua docuit S. Thomas Angelos esse incorporeos, cum tamen longe diceretur sit. Nam in eo art. 1. præced. quæst. docuit S. Tho. Angelos esse incorporeos, hoc est, essentialiter non esse corpus, siue compositum, siue simplex, vt existimauit Durand. esse cælos absque vlla compositione materiæ, & formæ, in quo sensu anima rationalis non est corporea, quia substantia sua non est corpus, sed spiritus. In hoc vero art. queritur, an Angeli vniti sint corporibus, vel habeant vnita corpora sibi, sicut habent animæ rationales, quæ incorporeæ cum sint, corporibus nihilominus vniuntur. Et respondet Angelum non esse naturaliter vnitum alicui corpori: ac si diceret, non esse formam alicuius corporis, aut materiæ, aliter quidem, quæ animam rationalem, quæ cum sit spiritualis secundum se, corpori tamen naturaliter vnitur. Argumenta vero, quæ posuit S. Doctor, eo etiam spectabant, non vt probarent, Angelos esse secundum substantiam suam incorporeos, sed naturaliter esse corpori vnitos. Conclusionem autem articuli hæc probat testimonium Dionys. cap. 4. de diu. nom. in principio, quod asserit S. Thomas in argumento. Sed contra: & ratio quam asserit in corpore articuli. Verum de hac re nullus S. holæticorum, quod ego legerim, disputat. Solom enim aliqui tractant, an secundum suam substantiam Angeli corporei sint, & cum S. Tho. pronuntiant, incorporeos esse natura sua, de qua re di. p. 179. abunde dictum est.

DISPV. CLXXXIII.

An materia, seu corpori, Angelis naturaliter vniantur.

Error Philosophorum, & Origenis. cap. 1.
Vera sententia. cap. 2.

CAPVT I.

Error Philosophorum, & Origenis.

Antiquorum Philosophorum sententia fuit, Angelos formas esse naturaliter vnitas corporibus. In qua opinione fuisse videntur quatuor asseruit, astra, seu corpora cælestia esse animata. Sic de cælorum animatione sentit Plato in Epist. 1. nomide, vbi iubet, astra vt Deos venerari id quod non diceret, nisi animata esse putaret. Clarissime vero Aristot. lib. 2. de celo text. 13. cum docet celum esse animatum, & ob id sex habere differe. ntias positionis: quod enim quidam de anima assente, & gubernante ipsum interpretantur frivolum videtur: cum vix hoc genere animationis hæc differe. ntia possint explicari, ideo de anima informante, non de gubernante, & assente tantum ipsum interpretatur S. Thom. in opusculo 15. cap. 2. & 2. contra gentes. cap. 70. & in disputa. q. de anima, art. 2. ad 3. Accedit quod 12. Metaph. text. 35. & 36. cum doceat, primum mouens mouere celum per modum appetibilis, asserere plane videtur, celum animatum esse: alioqui ab appetibili non moueretur. Consentiant Philo. in libro de opibus mundi, & in libro de somnijs, & in libro de gigantibus, & Origenes in commentariis in Ioan. in illa verba, in primis rationibus, & 1. lib. Periarthon. cap. 7. qui eadem ratione astra virtutis, & vitij capacia esse asserunt. Id quod deducit ex illo Iob. 25. vbi dicitur, stellæ immundæ: addit vero, Christum pro peccatis.

caris non modo hominum, sed astrorum etiam, & Angelorum mortuum fuisse, nisi, ut ipse inquit, tomo illo, in Ioannem, & hoc de astris hyperbolice dictum sit. Item de colorum animatione docuit Hierony. 6. tomo, in comment. Epistola ad Ephesus in illud cap. 2. Qui fecit vtraque vnum, tamen multa, quae in eo commentario docet, non ex sua, sed ex aliorum sententia dicat, ut ipse restatur 2. tomo in Apologia contra Rufinum: ab hac tamen opinione ipse non se excusat. Idem docuit in commentarijs in Ecclesiast. in illa verba, Girans girando vadit spiritus. Augustinus 2. de Genesi ad litteram cap. 8. proponit quaestionem, & eam non definit, & in Enchirido cap. 8. inquit non satis sibi exploratum esse, an sidera mentem, & sensum habeant, & ad beatorum societatem pertineant, & in lib. contra Origines ad Orosium cap. 11. Nec ista (inquit) ad nos pertinere. Cum autem 1. retractationum capite 5. & 11. retractat id, quod dixerat lib. de immortalitate animae cap. 13. & in lib. 6. de musica. cap. 14. scilicet mundum animatum, & magnum quoddam animal esse, non retractat, ut aperte solum, sed tanquam incertum, quia nihil de hac re constare possit. Hanc sententiam secutus postea fuit Caieta. in illud Psalmi 137. Qui fecit caelos in intellectu, hoc est (ut ipse ait) intelligentes.

Nonnulli quoque hanc opinionem S. Thom. adscribunt locis citatis, cum tamen ibi solum de mente Aristotelis disputet: affirmat tamen capit. illo 70. non esse contra fidem, id asserere, tamen, si ipse ait quaestione citata, magis communis sententia Scholasticorum sit, caelos non esse animatos.

Itaque iuxta horum omnium sententiam, qui docent, caelos animatos esse, consequitur, Angelos seu intelligentias, colorum animas esse. Sic S. Thom. in quaest. de spiritualibus creaturis art. 6. in opinione asserendum caelos animatos, dicendum putat, eorum animas & rectores intelligentias esse, & mentem Arist. ita interpretatur, tamen, si apud assistente, non de informante ipso intelligat. De his etiam intelligentijs, seu Angelis quaestionem mouit Aug. lib. 2. de Genesi ad litteram. cap. 18. an essent animae colorum, & ab eis non solum regerentur, sed etiam vitaliter inspirarentur: & dubius manet.

CAPVT II.

Vera sententia.

Vera sententia est; quam tradidit S. Thomas in hoc articulo Angelos nempe non solum esse spirituales secundum suam substantiam, verum etiam nulli corpori esse substantialiter vnitos, hoc est, nullum corpus ab eis animari: à qua sententia nullam video Scholasticorum dissentire, cum omnes doceant, caelos non esse animatos. Primum vero probari potest hac ratione: Si Angeli essent animae aliquorum corporum, maxime essent colorum, qui sunt nobilissima corpora, sed caeli non sunt animati, ergo nullum corpus ab Angelis animatur. Caelos autem animatos non esse, certissimum esse arbitror. Est in primis Scholasticorum sententia communis, ut fatetur Sanctus Thomas locis citatis, & expresse docuit Bonaventura in 2. d. 14. art. 3. quaest. 2. Ricard. art. 3. quaest. 4. Scotus q. 1. in fine & reliqui eodem loco: addit Bonaventura oppositum esse manifestum

errorem. Scotus vero ait, creditum esse, tamen ratione physica non facile probari possit. Ex patribus vero Graecis ita docuerunt Basil. Homil. 3. in Basilian. Genes. & in Psalm. 48. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum, Ambros. Cyrillus. imo affirmat sententiam Platonis non modo Christianae doctrinae sed etiam philosophicae rationi aduersari. Consentit Damasc. lib. 2. de fide cap. 6. ubi dogma fides esse arbitrat. Ex Latinis vero Lactantius 2. de diuinis institutionibus capite 7. Anthonio Hieronymus. in Epist. 69. quaest. 1. ad Autum, ubi oppositam sententiam inter errores Origens commemorat. Idem docet in illud Esai. cap. 45. Manus mea tetenderunt caelos: quod vero ipse dixit in Epistolam ad Eppell. non ex propria sententia dixisse videtur, sed, ut multa alia ex Graecorum libris (ut ipse ait in Apologia contra Rufinum) translulisse: ab hoc tamen errore speciatim non se excusat, quia non obieciatur ei à Rufino, sicut alijs. Quod etiam docuit in Ecclesiastem, nihil fauet prior sententia. Non enim putauit, solem spiritu animari, sed illi loco duplicem adhibet expositionem, aut quod sol reuera spiritu viuificetur, aut quod suo lumine vitam alijs rebus praestet. Accedit Nicephorus, qui libro 17. Niceph. historia cap. 27. inter canones 5. Concilij generalis, quibus errores Origens damnantur, refert sextum, in quo sic dicitur, Si quis dicit caelum Solem, & Lunam, & stellas, & aquas, quae super caelos sunt, animatas quasdam esse, & materiales virtutes, anathema sit. Ei ratione probatur, si alia animata essent, non tantum essent animata anima sentiente, & brutorum, sed & intelligente, cum sint adeo perfecta corpora: quod si hoc genere animatum essent animata, abique dubio beata essent, neque enim de numero essent daemonum, qui peccarunt: quare ea venerari possemus, quod in se dignitatem & sanctitatem haberent: quod esset absurdum: nam quamuis ea colere possimus, quatenus nobis representant auctorem suum, sicut cetera inanimata, quae Deum, vel sanctos representant, ut lib. 3. de cultu adorationis, disputatione 1. cap. 2. explicauimus: tamen non licet ea adorare propter dignitatem vel sanctitatem aliquam, quam in se habeant: videtur enim contra illud Deute. 4. cap. Ne forte alienatis oculis ad caelum videas Solem, & Lunam, & omnia astra caeli, & errore deceptus adores ea, & colas, quae creauit Dominus Deus tuus in ministerium omnibus gentibus. Nam licet in veteri Testamento omnis adoratio sculptilium fuerit prohibita, ut libro 2. de cultu adorationis disputatione 4. cap. 2. ostendimus: tamen adorare homines in dignitate constitutos, & Angelos ob ipsorum dignitatem, non ut Deos, sed ut superiores, non solum prohibitum non fuit, sed maxime visitatum, quare non veraret dominus, caelos adorari, si anima praediti essent rationali. Tum etiam cum ibi dicat Scriptura, eos fuisse in ministerium gentium à Deo creatos, manifeste indicat, inferioris naturae, quam homines, & veluti eorum mancipia esse, cum igitur constet, caelos non esse animatos, manifestum est etiam, Angelos non esse formales aliquorum corporum.

Prætermissa vero ratione S. Thomae & multis, quae Caietanus in eius defensionem adducit, hoc etiam modo probari posset: Si Angelus tribueret corpori, cum tribueret illi vitam, vel tribueret quoque sensum, vel non, si tribueret sensum, vix assignaremus discrimen inter ipsum, & homi-

hominem; ac proinde Angelus esset anima hominis: si autem non tribueret sensum, sed solum Angelus secundum se intelligeret, ac si a materia omnino esset abstractus, frustra vniretur corpori sine sensu, solum ut daret vitam: restat igitur, Angelos in se substantialiter non esse corporeos, neque ut formas substantialiter vniri posse corporibus: id quod adeo verum existimo, ut neque Deus potentia sua absoluta eos vnire possit. Genus enim causæ formalis, quod ab intrinseco præstat effectum, Deus non potest cuius naturæ communicare: sed ei solum formæ conuenire potest, quæ naturæ suæ virtute id habet: cum igitur Angelus naturæ suæ non sit forma corporis, id non potest illo modo à Deo habere.

ARTICVLVS II.

Virum Angeli assumant corpora.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Angeli non assumant corpora. In opere enim Angeli nihil est superfluum, sicut neque in opere naturæ. Sed superfluum esset, si Angeli corpora assumerent. Angelus enim non indiget corpore, cum eius virtus omnem virtutem corporis excedat. Ergo Angeli non assunt corpus.

2. Præterea. Omnis assumptio ad aliquam vnionem terminatur: quia assumere dicitur, quasi ad se sumere. Sed corpus non vnitur angelo ut formæ, sicut dictum est. Ex eo autem quod vnitur sibi ut motori non dicitur assumi: alioquin sequeretur quod omnia corpora mota ab Angelis essent ab eis assumpta. Ergo Angeli non assunt corpora.

3. Præterea. Angeli non assunt corpora de terra vel aqua: quia non subito disparent. Neque iterum de igne: quia comburerent ea, quæ contingerent. Neque iterum ex aëre: qui aër infigurabilis est, & incolorabilis. Ergo Angeli corpora non assunt.

Sed contra est, quod Aug. dicit 15. de Ciuit. quod Angeli in assumptis corporibus Abraham apparuerunt.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt Angelos nunquam corpora assumere: sed omnia quæ in Scripturis diuinis leguntur de apparitionibus angelorum, contigisse in visione prophetiæ, hoc est secundum imaginationem. Sed hoc repugnat intentioni Scripturæ. Illud enim quod imaginaria visione videtur, est in sola imaginatione videntis. Vnde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem diuina sic introducit inter ceterum Angelos apparentes, ut communiter ab omnibus viderentur. Sicut Angeli apparentes Abraham visi sunt ab eo, & tota familia eius, & à Loth, & à ciui-

bus Sodomorum. Similiter angelus qui apparuit Tobie, ab omnibus videbatur. Ex quo manifestum sit, huiusmodi contigisse secundum corpoream visionem, quia videtur id, quod positum est extra videntem: vnde ab omnibus videri potest. Tali autem visione non videtur, nisi corpus. Cum igitur Angeli neque corpora sint neque habeant corpora naturaliter sibi vnita, ut ex dictis patet, relinquitur, quod interdum corpora assument.

Ad primum ergo dicendum, quod Angeli non indigent corpore assumpto propter se ipsos sed propter nos, ut familiariter cum hominibus conuersando demonstrent intelligibilem societatem, quam homines expectant cum eis habendam in futura vita. Hoc autem, quod Angeli corpora assumpserunt in veteri testamento, fuit quoddam figurale indicium, quod Verbum Dei assumpturum esset corpus humanum. Omnes enim apparitiones veteris testamenti ad illam apparitionem ordinatæ fuerunt, quia filius Dei apparuit in carne.

Ad secundum dicendum, quod corpus assumptum vnitur angelo, non quidem ut formæ, neque solum ut motori, sed sicut motori representato per corpus mobile assumptum. Sicut enim à sacra Scriptura proprietates rerum intelligibilibus sub similitudinibus rerum sensibilium describuntur: ita corpora sensibilia diuina virtute sic formantur ab Angelis, ut congruant ad representandum Angeli intelligibiles proprietates. Et hoc est, angelum assumere corpus.

Ad tertium dicendum, quod licet in sua raritate manens non retineat figuram, neque colorem: quandoque tamen condensatur, & figurari, & colorari potest: sicut patet in nubibus. Et sic Angeli assunt corpora ex aëre, condensando ipsum virtute diuina, quantum necesse est ad corporis assumendi formationem.

CONCLVSIO est, Angeli, tametsi corpora non sint, nec naturaliter corporibus coniuncti, interdu tamen voluntate sua corpora assumere possunt.

DISPUT. CLXXXIV.

Vtrum in corporibus assumptis vere, et solum secundum imaginationem Angeli appareant.

Non solum in imaginatione, sed etiam in corpore apparent. cap. 1.

De figura, & qualitatibus corporum, quæ assumuntur. cap. 2.

Diluuntur argumenta prioris sententiæ. cap. 3.

De qua materia, & qua virtute corpora ab Angelis assumuntur. cap. 4.

CAPIT.

267
2. d. 8. ar. 2.
Et post q. 5.
ar. 7.

Art. præc.

Lib. 15. de
Ciuit. Dei
cap. 23. circa
prin. & 26.
16. cap. 29.
19m. 3.